

leges Romanas non licebat uxori concedere testamentum, sine viri auctoritate. Assuerus etiam Persarum rex, cum ad ejus imperium in conspectum prodire uxor nollet, eam ex consilio sapientum repudiavit, ne ad illius exemplum omnes alia conjuges contemnerent imperia maritorum, Esth. 1. Secundo, apud Hebræos: scimus enim Saram vocasse maritum suum Abrahamum, dominum suum, Gen. XVIII. scimus eundem in sua peregrinatione relictis parentibus et patria undique secutam, Gen. XII. Rebecca viso Isaac sponso suo de camelo desiliens et pallio se contegens obviam ei processit, Gen. XXIV. sic Noemi, Anna, Abigail, Esther, Judith, Ruth et imprimis virgo Deipara, quæ sponsum sibi præponens, cum tamen multas haberet causas, sponso se præferendi, dicebat Filio: *Pater tuus, et ego dolentes quærebamus te*, Luc. II. Tertio, apud Christianos etiam omnes sanctæ mulieres subditas se exhibuerunt viris suis: S. Natalia maritum suum Hadrianum vocabat dominum suum: S. Monica Patritio: *Viro suo serviebat quasi domino*, ut ait S. Aug. lib. IX. confess. c. IX. denique, universim: *Bona conjux*, ait S. Amb. in cap. XXXI. Prov. c. XXXI. *Non solum vocat virum suum, sed dominum suum, hoc sapit, hoc sonat, hoc gestat corde, hoc profertur ore, etc.* Propterea primo, ex more gentium mulieres velatæ sunt et caput non aperiunt in publico, etiam cum orant, quod præcepit illis apostolus, 1. Cor. XI. unde et velamen earum potestatem ibi vocat, est enim signum potestatis, quam habet vir in mulierem sicut caput nudum signum est libertatis. Ideo Tertullian. lib. de corona militis, cap. XIV. velamen mulierum vocat *humilitatis earum sarcinam* et lib. de velandis virg. cap. XVII. *jugum illarum*; Chrysost. *insigne subjectionis*. Propterea secundo, mulieres sortiuntur nomen suum a viris. Sic enim Hebræa mulier vocatur Ischa ab isch, quasi diceret: *Vira seu virago a viro*: sic apud Judæos vocabantur Maria Cleophæ, Maria Jacobi, etc. et apud Romanos a Publio, Caio, Cornelio, Tullio, Lucio, vocabantur uxores, Publia, Caia, Cornelia, Tullia, Lucia: sic apud nos Germanos aliasque nationes.

IV. Ostendit divinum judicium latæ in eas sententiæ. Quia enim Eva virum suum induxit in peccatum, et per hoc cum ipso totum genus humanum una secum perdidit, subjecit eam Deus novo titulo, pœnæ scilicet, marito suo: *Sub viri potestate cras et ipse dominabitur tui*, ait Deus, Gen. III. Hebraice habetur: *Ad virum concupiscentia vel recursus aut discursus tuus*; vel ut Septuaginta vertunt: *Conversio tua*, quasi diceret: *Quicquid desiderabis, debebis ad virum recurrere, et ab eo petere: quare si sapis uxor, si pacem et quietem*

amas, cum viro tuo sentias et consentias, ejus imperio cedas et te submittas, os oculosque ad nutum ejus accommodes nec aliud appetas, quam quod illi placitum esse scias. Atque hoc est, quod Aristoteles, in æconomicis suis, lib. 1. et II. docet, videlicet, ut mulier arbitrium suum omnino exuat, quæ obtemperet marito; sitque maritus ei pro corde, oculis et lingua: arrideat ridenti, compatiatur tristi, non adulatoris modo vel chamæleontis; sed ut socia et dimidiatum corpus ejus et cum eo unus spiritus.

Voluit ergo dicere Deus: Ad virum recursus seu conversio tua, id est, volo ut nihil agas nisi ex voluntate et exemplari tuo, quod optime expressit Aristoteles, lib. 1. econ. c. 1. et IX. cum dixit: *Existimare debet mulier bene composita, mores viri esse legem vitæ suæ impositam sibi a Deo per conjunctionem matrimonii, etc.* Atque hoc si omnino imperare velint mulieres unicum et optimum est medium, imperium obtinendi; si ad virum se convertant eique se accommodent ac placere et parere studeant: *Casta enim ad virum matrona parendo imperat*, ait Seneca. Ratio est primo, quia si honorat virum, se illi subjiciendo, honorabitur vicissim a viro suo. Ita enim Sara, quia honoravit virum suum et vocavit eum dominum suum, vicissim ab eo honorata et Sarai vocata est, id est, domina mea: quod idem faciunt adhuc viri graves et prudentes, bonis et prudentibus uxori-bus.

Ita Livia Augusti Cæsaris uxor interrogata, quibus rationibus Augustum sibi subjecisset, respondit: *Multa modestia, quod ea, quæ placerent Augusto, faceret libenter et sciret dissimulare ejus errata.*

Secundo, quia si honorat virum, honorat caput suum et inde in ipsam quoque redundat omnis honor. Unde Sanctus Hieronymus ad Celantiam scribens, ait: *Tu dominum illum (maritum) obsequio tuo, tu magnum illum tua humilitate demonstra: tanto ipsa honoratior futura, quanto illum amplius honoraveris.* Caput enim (ut inquit apostolus) mulieris est vir: nec aliunde magis reliquum corpus ornatur, quam ex capitis dignitate. Itaque uxor cum quid definire aut statuere in re alicujus momenti vult, convertat se ad virum ejusque requirat consensum et consilium, nec aliquid, quod in ejus præjudicium tendit, contra ejus voluntatem faciat; honestis viri moribus semper accommodet; colat ejus parentes etiam; curet familiæ bonum, nec bona communia prodigat; ad ornatum corporis non plus requirat, aut impendat, quam ut viro satisfaciatur. Hæc et alia, quæ muneris sui sunt, si observet, non difficile concedam, ut Simon vocari queat, sed Hebraica etymologia, videlicet *obediens*: hoc enim sonat Simon: et ita demum cum laude poterit imperare, adeoque fieri *Symann*, si nimirum fuerit Simon. Vicissim etiam vir, si virum se exhibeat, non dubitet vocari Judas, quod idem est ac laus. Magna enim laus est si habeant viri, et conservent potestatem sibi a Deo collatam. Cæterum ut habeant uxores sibi subditas, non rebelles, viderint imprimis ne aspere et tyrannice imperent, sed blande et comiter; non enim ex viri pedibus, sed e latere ejus formata est mulier. Primo, igitur absteineat a verberibus, verbis asperis et minacibus, memor sexus fragilioris: secundo, minora ejus errata dissimulet et surda aure pertranseat, ne nimium emungendo, sanguinem eliciat, et summum jus summa fiat injuria: tertio, victum et vestitum condecentem largiatur: quarto, suppeditet ei tempus ad domesticos usus necessarios, nec rigidam eorum exigat rationem nisi urgente causa: quinto, consilia ejus non omnino aspernetur, sed apud se expendat; sæpe fuere utilissima: sexto, devotionem ejus non impediatur, sed ob hanc felicem potius se existimet; mulier enim pia multa potest bona familiæ impetrare, sicut Anna Samuelis mater; multa mala avertere sicut Abigail uxor Nabal, etc.

torum albo adscribat. Audite legem, II. Tim. III. *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur*: similiter, Tob. XII. dicit angelus Raphael: *Quia acceptus erat Deo necesse fuit ut tentatio probaret te*: et Actor. XIV. aiunt Paulus et Barnabas: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*: denique, ad Hebr. XI. asserit Paulus, servos Dei varie fuisse depositos: *Alii ludibria et verbera experti, inquit, insuper et vincula et carceres. lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.* Aspice vel unum collegium apostolorum: nonne alii crucifixi sunt, alii lapidati, alii decollati, alii excocti, alii in oleo assati, alii per medium secti? Nonne et istud est, quod in hodierno evangelio prædicatur apostolis? Jam vero non immerito quis scire desideret causas, ob quas hoc fieri oporteat. Ad quid enim, dices, necessaria hæc depositio? Annon consultius foret, si semper prospere et pacate viveremus et virtutem interim coleveremus? Causas igitur ejus indagemus.

I. Videntur hæc causæ ferme eadem cum ausis depositionis academicæ. Nam quæso, cur studiosi deponuntur? Primo, arbitror ut hoc quasi medio habiles et dispositi reddantur ad omnis generis liberales disciplinas recipiendas. Id enim indicat illa dolatio, sectio, attonsiō, etc. quasi per hæc capax disciplinarum reddi debeat studiosius. Hoc ipsum etiam intendit Deus, cum servos suos tribulationibus affligit, vult enim eos gratiæ donis et virtutibus magis et magis perpolire, et quasi in pulcherrimas statuas transformare. Ut ergo talis formæ pulchritudinem queant recipere, prius dolari et secari tribulationibus debent. Unde beatus Antiochus, hom. LXXVIII. ait: « Sicut cera nisi recalescat aut præmolliatur, non facile in se recipit sigilli impressionem; ita et homo nisi laborum et multivarie infirmitatis probetur exercitio, nequam sinet insigniri se signaculo divini gratiæ. »

Hinc apostolum Paulum, quia eum Christum vas electionis facturus erat, tot laboribus attrivit, supra alios apostolos: *Ego enim ostendam illi, inquit Christus, Actor. IX. quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Vas insigne et elaboratum quæ nescit sæpius per ignem transire debere, crebrius tundi ictibus? Qui canem aut falconem instruere vult ad capiendas aviculas, aliaque obsequia, fame, verberibus et vigiliis eos edomat: quod si abunde eis præbeat cibum, nihil efficiet. Christus apostolos suos eorumque sequaces instruere voluit, ut non solum ipsi boni essent, sed alii etiam bonos facerent, essentque canes venatici, ac falcones, qui alios caperent: ideo majoribus eos tribulationibus maceravit. Exemplum reli-

CONCIO IV.

BONOS CUR HIC TRIBULARI OPORTEAT, SEU TRIBULATIONUM NECESSITAS RESPECTU BONORUM.

I. Ut disponantur ad virtutes capessendas. — II. Ut probentur. — III. Ut sanctis conformentur. — IV. Ut digni fiant gloriæ. — V. Ne extollantur. — VI. Ne plus æquo suspiciantur.

THEMA.

Hæc omnia facient vobis propter nomen meum.
Joan. XV.

In academiis nostris mos est receptissimus, ut nemo ad studia admittatur, aut studiorum albo inscribatur, nisi prævia, ut vocamus, depositione fuerit acriter divexatus, et multis sannis varie exceptus, aliorumque ludibriis expositus. Quem morem ab Atheniensibus ad nos fluxisse ostendit doctissimus vir Alb. Ungerus, in orat. de eadem consuetudine. Ibi is, qui admitti cupit, depalmatur, dolatur, secatur, cornibus armatur, nigrore obducitur, et mirus agitur modis: quibus denique finitis studiosorum albo inscribitur. Similem consuetudinem imo legem observat in schola sua Christus; suos enim discipulos hic varie tribulat, antequam eos in cælum recipiat, et be-

tur in historia patrum, parte II. c. VIII. de quodam Christi tyrone, qui ut ad philosophiam christianam idoneus redderetur, post delictum leve, veniam a magistro orans, non aliter impetrare potuit, quam ut toto triennio aliorum onerareret. Tulit rediit, pacem petivit: quam se rursus si negaturum dixit, nisi altero triennio mercedem daret iis; a quibus contumeliis et conviciis appeterebatur. Et hoc præceptum sui præceptoris exhauserat. Tum philosophus: *Ades ergo, inquit, ut experiar, quid profeceris.* Ductus Athenas, cum a sapiente illic viro ad ipsam portam sedente contumeliose allatraretur, cepit ridere juvenis. Miratus alter: *Quid hoc rei, inquit, tu sannis a me expletus ridens? Non rideam?* inquit discipulus. *Tres annos mercedem solvi iis, qui me contumeliis oneraverunt, hodie gratis id abs te partior.* Attonitus Atheniensis: *Ingrede, inquit, urbem, dignus capite III.* Quare omne gaudium existimato fratres mei, inquit Sanctus Jacobus, cap. 1: *cum in tentationibus variis incideritis, scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes.* Etenim qui plus aliis tribulatur, eos non dubium est supra alios evehendas a Deo: non enim frustra eos ita macerat et subigit: signum est quod magna gratia et multa sapientia eos imbuere velit. In hujus rei significationem omnes lapides qui ad templi Hierosolymitani fabricam adhibeantur prius dolari et perfici debuerunt, III. Reg. VI. Primus Israelitarum rex Saul, quia sine tribulationibus in regnum venit, incrassatus et dilatatus recalcitravit et a Deo subiectus est, secundus vero David multis tribulationibus prius vexatus est; unde perseveraverit in Dei amicitia.

II. Ut probetur eorum indoles et virtus quid pati possint, quid facere. Unde exercentur in cantu, in choreis, in palestra, in concionando, in ludibriis quoque et verberibus. Similiter et justi probantur tribulationibus, ut eorumdem virtus pateat. Unde Sapientia III. dicitur: *Deus tentavit illos, et invenit eos dignos se, tanquam aurum in fornace probavit illos:* nimirum virtus non agnoscitur, nisi in adversitate. Unde possim scire, ait Seneca lib. Quare bonis viris, etc. *quantum aversus paupertatem tibi animi sit, si divitiis defuit? Unde possum scire, quantum adversus ignominiam et infamiam odiumque populare constantia habes, si inter plausus senescis, etc?* Adamas, ut scribit Origenes, homil. III. in Jeremiam, cum dubitatur an sit verus, ictibus probatur inter malleum et incudem: et si quidem integer manet, genuinas est, sin rumpatur spurius: sic et lutea vasa

in fornace, antequam in eam mitterentur, omnia videbantur bona, in fornace demum probantur, et extracta digito pulsantur; an sint integra atque ex tinnitu cognoscuntur. It probatus Job variis afflictionibus; et qualem, putatis, tinnitum reddidit? Utique non alium, quam: *Dominus dedit, Dominus abstulit, etc.* Persecutiones hujus temporis sunt ejusmodi fornax: modo pulsat Dominus, qualem tinnitum reddamus, quam patientes simus, quam strenue certemus spiritualibus præsertim armis, oratione, etc: hinc apparet in justis animæ, quæ alioqui cerni nequit, pulchritudo, patientia Job, mansuetudo Moysis, castitas Josephi, fides Abraham. Sicut cum exteriora vestis vel chorithæca scinditur, ut pulchritudo interioris vel annuli, vel gemmæ appareat: Probat, inquit Gaudens Brixianus, in præfatione tractatum, *Deus non sibi, qui ante novit universa quam fiant, sed angelis et hominibus.*

Juxta id nimirum II. Cor. IV. *Spectaculum facti sumus mundo, angelis et hominibus.* Primo, reprobis hominibus, ut corrigantur aut confundantur, eum vident justos etiam inter et propter adversa Deo gratias agere, quod ipsi in et de prosperis non faciunt. Id quod Job credere nolebant amici ejus: quod tamen fecerat. Non credebant gentiles et tyranni, veram esse et solidam Christianorum virtutem sed magos eos reputabant. Unde aliter locuturos et facturos putabant, cum ventum esset ad supplicia, seu turpiter confusi, partim etiam conversi sunt, dum viderunt eos in mediis tormentis eisdem, imo fortiores, et lætiores esse, Deus insuper suum laudare: ita confusus Nabuchodonosor, audiens tres pueros in fornace Dominum benedicientes et canentes, Dan. III. ita confusus Valerianus, in Laurentio Deum in craticula confitente: in Vito, Modesto et Crescentio, Deo, in vase plumbi liquati trium puero-rorum instar divinos hymnos canentibus Dioeletianus. Corriguntur et convertuntur e plebe innumeri.

Deinde, hominibus bonis in exemplum. Ita Tobia II. dicitur idcirco immissam esse a Deo Tobia tribulationem cæcitatibus, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et Sancti Job. Quid enim si tam multos hos præcessisse conspicimus, qui ad sanguinem usque restiterunt. Quid queri vel dubitare possumus, quasi nos vel soli affligamur vel supra omnes? Quid sunt afflictiones tuæ cum cruce Petri et Andree, cum gladio Pauli, cum cultro Bartholomæi, cum serra Simonis, cum fuste Judæ, cum cruce Laurentii, bestiis Ignatii, sagittis Sebastiani, etc. comparata? Nihil sunt, ros respectu rubi. Facile patitur hospes, si milites qui aliorum ades spoliaverunt, incenderunt, inco-

ras vulnerarunt, occiderunt, ex ejus domo non soluto symbolo discedant, si ipsi in aliis non nocuerunt: parvum enim vel nullum reputat damnum suum respectu damni aliorum civium. Tribulationes ejusmodi milites sunt: qui o quam tractarunt, Jobum, apostolos, martyres, etc. Tace igitur, et ne verbum obloquere, si levius damnum in domo tua reliquerunt.

Tertio, angelis malis ne possint eos criminari, quasi non gratis serviant Deo, sed prosperitatibus allecli. Nam cum sancti pie vivunt, mox adest dæmon, et mercedi prosperitatis temporalis ascribit, non virtuti: quemadmodum de Job dixit: *Numquid Job frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum ejus universamque substantiam per circuitum?* Dominus vero ut ostenderet Job non mercedis gratia virtutem colere, permisit dæmoni, ut eum omnibus bonis corporis spoliaret, et tunc confusus fuit dæmon, cum Jobum in virtute nihilominus persistentem vidit, Job I.

Quarto, angelis bonis, qui cum conscientias intueri nequeunt, ex factis nosse probos debent, ut sic non mirentur, si quando sanctorum aliqui ad vel supra ipsorum choros evehantur, quos videntur hic tot tantisque modis tentatos, intactos permansisse.

Quinto, mundo denique, ut sic intelligat Deum, fortia mundi per infirma confundere; siquidem in tantum celebrantur, coluntur, et beati prædicantur, qui hic variis modis angustiati sunt: eorum autem, qui hic floruerunt, et magni videbantur, vix nomina supersunt. In catenis erat Paulus et carcer propter ipsum tremnit: quam hoc mirandum! Actorum XVI.

III. Ut magistris suis conformentur. Quare, si quis detractaret subire depositionem, statim audiret ab academicis et ipsis suis præceptoribus, se quoque hoc onus subire debuisset. Similiter etiam in schola Christi, omnes quotque fuerunt, sunt et erunt, tribulationibus vexari debuerunt et debebunt. Non audivimus in hodierno evangelio Christum magistrum nostrum dicentem: *Non est servus major domino suo: si me persecuti sunt, et vos persequentur?* Non audivimus iterum Lucæ ultim. *Hoc oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?* Atqui, ut inquit S. Bernardus, *sub capite spinoso non decet membrum delicatum.* Cum enim membra Christi esse debeamus juxta apostolum ad Eph. IV. vel ergo in capite ejus consistere volumus, et id spinis undique circumdatum esse; vel in nauribus, et ea sunt plenæ contumeliis; vel in oculis, et ii sunt pleni terroribus; vel in lingua, et ea felle repleta est; vel in facie, et sputis deturpata est, præ colaphis turgida; vel in tergo, et hoc onustum cruce est; vel in latere,

et hoc transfixum est; vel in manibus ac pedibus, et ipsi similiter perforati sunt; vel alibi in corpore, et a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Aspice deinde reliquos academicos et magistros, sanctos, qui præcesserunt: en hi omnes sunt: *Qui venerunt ex magna tribulatione et laverunt stolas suas in sanguine Agni,* Apoc. VII. Omnes ad unum deponi debuerunt. Igitur si cum illis vis lætari, debes et cum illis tribulari, alioquin illorum cœtu indignus es. Cujus rei typum refert Osorius, conc. I. in dominicam infra octavam ascensionis, ex historiis Hispanorum. Rodericum de Vivar in domo sua mensam fortium constituisse, in qua tantum strenui sedebant milites, qui egregia facinora in bello designarunt. Cumque in ea mensa sedere aliquando voluisset vir quidam illustris Martinus Pelæz, id ei non concessit, donec etiam ipse talia præstitisset facta. Ejusmodi etiam est mensa beatorum, de qua Dominus, Luc. XXII. *Vos estis, qui mansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Qui novum pannum, v. g. ad vestem conficiendam sibi empturus, si intellexerit a mercatore tanti eum se daturum, nec minoris; si quidem intimis suis amicis tanti eum vendiderit, imo ipsemet emerit: quis, inquam, jure pretium detractabit? Quis speret se viliori empturum? Jam vero pannus, ex quo vestis gloriæ fieri debet, tribulatione venditur: eum hoc pretio vendidit Christus suis amicissimis, ipsemet tanti emit; noli igitur sperare, quisquis es, gratis te obtenturum.

IV. Ut dignus sit gaudere privilegiis studiosorum. Similiter in schola Christi jure meritum præcedit præmium. Unde Rupertus, in capite I. Apocalyps. hoc jus legale vocat: a quo nec Christus quidem exemptus erat. Nam *Christus, inquit Tertullianus, libro de corona militis, cap. XIV. favos post fella gustavit, nec antea res gloriæ a cælestibus salutatus est, quam rex Judæorum præscriptus in cruce, etc.* Ad hæc adeo fixum est hoc jus, ut nec Christus in eo se dispensare cum quocumque posse asserat. Sic enim Matthæi XX. Joanni et Jacobo petentibus ut daret eis sedere ad dextram et sinistram suam in regno suo, respondit: *Sedere ad dextram meam et sinistram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Quia nimirum id constitutum est tantum iis, qui calicem tribulationis exhausserint. Si enim rex proponat aureum torquem currentibus in stadio, victori dandum: et interim amicus aliquis ejus peteret torquem illum a rege, merito audiret: *Non est meum, id est, non est hoc æquitatis dare tibi torquem, qui vincenti propositus est.*

Unde Gregor. Nazianz. orat. I. in Julianum ait: *Coronæ in eos comparantur, qui certamine congregiuntur, non qui sursum sedent veluti spectatores.* Hujus rei figuræ erant ascensus purpureus ad reclinatorium Salomonis, Cant. III. virga Assueri, quam prius deo seculari debebat, quicumque regem accedere et alloqui volebat, Esther V. Causa est primo, quia cum regnum cælorum sit præmium incomparabile, tantum pro eo dari decet, quantum possibile. Sic enim Matthæi XIII. homo, qui invenit thesaurum absconditum et margaritam pretiosam, sive regnum cælorum, vendidit universa, quæ habuit, et emit eam. Maximum autem quod dari possumus, passio est, non actio.

Secundo, quia ipsa natura contractus requirit, ut qui emit aliquid, vicissim aliquo bono se spoliât, quod venditori det ut pretium, quod ipsum quoque retinere mallet. Unde qui labores pro corona subire detractat, nimis delicatus est, ut dicit S. Hieronymus, in regula mona. cap. XIX. *Delicatus es frater charissime, inquit, si hic vis gaudere cum sæculo et ibi regnare cum Christo.*

Tertio, quia regnum cælorum est bonum alienum, nullo titulo nobis debitum, unde non nisi vi quodammodo bellica et rapina obtinere debet. Ita Dominus, Matth. XI. ait: *Regnum cælorum vim patitur et violenti rapiunt illud.* In quem locum ait Sanctus Hieronymus: *Grandis violentia est, in terra non esse generatos et cælorum sedem quærere: possidere per virtutem, quod non tenuimus per naturam, etc.* Arcem alienam, munitam et clausam machinis oppugnare debes, si obtinere velis. Ab hac repellunt nos, qui eam amiserunt et invident nobis demones. Quod si jam diceres, te arcem illam intraturum, nec aliud requiri, quam ut currum conscendas ut cum toto comitatu tuo pompose ingrediaris, merito ridereris. Arma enim tibi expedienda sunt, machinæ erigendæ, arietes ad movendi, scalæ muris applicandæ, etc. Intellexerunt hoc viri sancti, qui ut arcem illam raperent, alias et alias applicuere machinas, Petrus et Andreas crucem, Stephanus lapides, Laurentius cratem, Simon serram, Taddæus fustem, Emeramus scalam, etc. fallitur ergo quisquis sibi fingit cælum absque vulnere et sanguine obtineri.

V. Ne extollantur super alios ob generis nobilitatem, divitias, scientiam, etc. Idcirco ibi humiliantur adjectis fronti cornibus, etc. tam nobiles, quam ignobiles. Similiter et justi, nisi tribulationibus deprimerentur, facile intumescerent ob gratiarum et donorum sibi concessorum a Deo magnitudinem. « Difficile est, (ait S. Gregorius, in capite I. Job) quempiam magna agere et apud semetipsum de magnis actibus cogitationum

fiduciam non habere: » et mox: « Unde pia conditoris dispensatione agitur, ut de se confidens animæ dispensatoria tentatione pulsetur. » Nonne II. Corinth. II. dicit apostolus: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis mee, angelus Satanae, qui me colaphizat?* Quod si in tanto viro periculum fuit ne extolleretur, ideoque necessaria ei tribulatio, quanto magis aliis? Augustinus in Ps. CXXX. ait: *Ne extolletur tamquam juvenis Paulus, colaphizatur tamquam puer; stimulus autem et colaphi illi erant carceres, vincula, flagella, contumeliæ, injuriæ, adversarii, etc.* secundum Chrysostomum, Theophylactum, Theodoretum, Cyprianum. Alii ss. patres aiunt, tradi fuisse dolorem capitis, aut corporis vehementem: qui certe eum non parum humiliare poterat; si quidem qui alios curabat, seipsum curare non poterat. Ita S. Theodorus ægros alios sanabat, ipse interim fere semper æger mansit. Nimirum ut falconi, quem amas et blandiendo demulces, pedicæ induis et caput obnubis, timens scilicet, ne tibi avolet; ita Deus servis suis pedicæ tribulationum induit, ne a se discedant, quos adeo amat. Sic Paulo, qui ad tertium cælum volarat, stimulum carnis alligavit, ne extolletur: Helia persecutionem Jezabelis, II. Reg. XVII. David persecutiones plurimas. Unde Psal. CXXIV. dicitur: *Virga peccatorum super justos, ut non extendant ad iniquitatem manus suas.* De eodem loco Hieronym. epist. XXV. ad Paulum de obitu Blesillæ scribit: « Ad revelationum humiliandam superbiam monitor quidam humanæ imbecillitatis apostolo apponitur in similitudinem triumphantium, quibus in curru retro comes adhærebat per singulas acclamationes civium dicens: Hominem te esse memento. » Hæc ille. Appensum etiam fuit curru triumphali flagellum et tintinnabulum, quod reis ad supplicium euntibus appendi solebat: ut memoretur se quoque ejusmodi fortunæ subjici posse: addere licebat jocos et insultatoria carmina, ut habetur in antiquitatibus Rom. et addit, no. X. cap. penult. ut sic dum humiliantur, non superbiant. Justi gratiarum donis ornati, quasi in triumpho vehuntur, mundi nimirum victores, ac poinde facile insolescere possunt, quod ne fiat, assecras tribulationes eis appendit Deus, quæ eos conditionis suæ commonefaciant. Sic Paulo vincula, flagra, insultationes, etc. appensa: Nabuchodonosori insolescenti imposita a Deo cornua, dum cum feris habitare et fœnum quasi bos comedere aliquo tempore coactus fuit, donec iterum agnosceret et benediceret Deum cœli, Daniel. IV. De S. Gregorio Turonense scribitur in ejus vita, apud Sur. 7. novembr. cap. VIII. quod cum aliquando iter Burgundia Alverniam faceret, subito exorta gran-

di tempestate, fulgure et tonitruis cælo indignante, protulerit reliquias de collo pendulas, et nubibus constanter opposuerit. Quare mox divisæ nubes et tempestas quievit. Quod cum vir, alioqui sanctus, clam meritis suis adscribere, sibi que applaudere non nihil inciperet, repente corruiit cum ipso equus, virumque Dei graviter affligit, ita ut omni corpore contusus vix assurgere posset. Intelligens igitur hoc sibi ad humiliationem suam accidisse, mox correxit cogitationem, et satis deinceps cavet, ne quia ejusmodi in posterum sibi, sed Deo et sacris reliquiis adscriberet.

VI. His accedit alia causa, ne videlicet cæteri majorem de viris sanctis opinionem habeant, quasi plusquam homines essent. Hinc quia Paulum et Barnabam Lystrenses putabant deos, eis que sacrificare volebant, Actor. XVI. ideo Deus permisit eos flagellari. Item ut hoc pacto a mundi ubere abducantur, dum adversa sustinere discunt. Sic exequit Deus prophetas suos, uti Ezechiel quem jussit vesci pane in stercore cocto, Ezech. IV.

Quare, auditores, si ad Christi academiam et sanctorum societatem admitti volumus, ne fugiamus hanc tam salubrem imo necessariam depositionem, sed dicamus cum propheta Habacuc, c. III. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, et ascendam ad populum accinctum nostrum.*

CONCIO V.

MUNDI INGENIUM.

I. Mutuat sua tantum. — II. Idem pluribus vendit. — III. Non concedit nisi sua licet viliora. — IV. Strictè computat. — V. Hospitem mox obliviscitur.

THEMA.

Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Joan. XV.

Satis notum est in mundo, quod si principes vel dominus alius odio habeat aliquem, eum etiam tota principis aula, tota domini familia oderit. Quam oderit mundum Christus in hodierno evangelio et alibi sæpe indicat, cum ait: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Odio habuit mundum Christum, quia venientem ad se recipere noluit: *Et sui eum non receperunt,* ait Joannes, cap. I. Unde nec diversorium ad nascendum habere potuit: deinde, in mundi hospitio pessimo habitus fuit, cum probris appetitus, cum latro ei præpositus, cum ver-

beribus mulctatus est, tandem cum ignominia ejectus, et Jerosolymis eductus extra urbem crucifixus est. Quod si igitur Dominus et princeps noster Christus tam merito odit mundum; nos illius servi quomodo amabimus? Et certe si intelligeremus, quam malus hospes etiam nobis sit mundus, multo adhuc magis eum odio haberemus. Si enim magistro nostro talia fecit, quid nobis faciet? Videamus igitur qualis caupo mundus sit.

I. Caupo usum domus suæ et utensilium suorum concedit hospitibus, sed non dominium: nam a discedente omnia repetit, et ne aciculum auferre eum sinit: sic etiam mundus usum rerum mundanarum concedit homini, non dominium: migrantem enim ex hac vita spoliât, nudumque dimittit. Unde Ecclesiast. c. IX. de divite ait: *Sicut egressus est nulus de utero matris suæ, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo.* Miserabilis prorsus infirmitas: quomodo venit, sic revertetur: et apostolus, I. Tim. VI. *Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium, quia nec auferre quid possumus.*

Quare sicut hospes non multum curat aut laborat, ut collocetur in conclavi splendido, auleis et picturis adornato, ut aurea argenteaque ad mensam vasa apponantur, etc. quia cogitat sibi ad usum tantum concedi, et paulo post omnia relinquenda: sic etiam non valde laborandum, quomodo habitemus, quibus induamur vestibus, quibus poculis bibamus, etc. quia hæc omnia mundus utenda tantum concessit nobis et brevi ea repetet. Ad quid ergo incessabilis ille et indefessus labor et studium accumulandi nummos, ædificandi palatia, congerendi aurea argenteaque vasa, et pretiosa quasque vestes? Frustraneus est hic labor et instar rotæ molendini, quæ licet toto die circumagatur et rotetur, vespere tamen ibi consistere cernitur ubi mane steterat, et nec passum unum fecisse. Ad hunc enim modum mundi sectatores tota vita discurrunt et cum Satana illo circumeunt mare et aridam ac nunquam non meditantur, quomodo opes congerant, lucra faciant, honores aucupentur, juxta id Psalm. XI. *Impii in circuitu ambulat.* Et quid tandem? In hora mortis ibi consistunt, ubi in hora nativitatis erant; ibi in cunis, hic in lectulo; ibi in utero matris, hic in utero terræ; utrobique undi, utrobique egeni: neque tot laboribus et itineribus suis unicum ad cælum fecerunt passum. Sed hoc unum effecerunt, ut ad breve tempus commodius habitarent, ornati vestirentur, pretiosioribus e vasis et poculis cibum potumque caperent, et lautius victitarent in alieno mundi hospitio: quæ tamen omnia eo cum majori dolore relinquunt

mundo, quo fuerint pretiosiora. Ægre discederet viator ab hospite aut expelleretur, qui laute admodum habitus hospitium, mensam, lectos, vasa et pocula sibi apposita sua, non aliena esse crederet. Et quam ægre discedent ex hoc mundi hospite, qui postquam lautissime in illo habiti sunt, existimabant se domi suæ esse et utensilia mundi omnia sua reputabant? Contra libenter inde discedit, qui cogitat aliena fuisse omnia, et se male novit habitum. Quisquis igitur hilarem mortem, et expeditum e vita discessum optat, paucis sit contentus,isque utatur tamquam alienis; quo modo vivebant primi Christiani tempore apostolorum, quando nemo eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, Act. IV. Idque suadet apostolus, I. Cor. VII. cum ait: *Qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur, præterit enim figura hujus mundi.* Itaque sicut mundus tibi nihil relinquit de suo; sic tu nihil illi relinque de tuo. Petit mundus ut ab eo discessurus saltem relinqueas ei affectus tuos et amorem erga se: sicut Pharaon a Moysse discessuro cum suis petiit ad extremum, ut saltem pecora sua ipsi relinqueret, sed respondit Moyses: *Non remanebit ex ei ungula,* Exod. X. Hospes de hospite discessurus sculo cavet, ne quid suarum rerum in eo relinquat, ne cultrum quidem unum: omnia secum aufert. Sic tu caveto ne affectum et amorem relinqueas mundo, ejusque bonis, si hilariter et sine dolore mori velis: alioquin, enim, qui mundana deligit et desiderat, ægre morietur. Audi Habacuc, cap. II. *Væ ei, qui multiplicat non sua: usquequo et aggravat contra se densum lutum?* Bona mundi tua non sunt, sed mundi sunt, tibi ad usum concessa: hæc si multiples et ames, væ tibi, quia in iis velut in denso luto hærebis, et affectuum tuorum pedes in articulo mortis expedire non poteris, sicque infigeris in limo profundi.

II. Secundo, idem diversis vendit, eosdem cibos ex unius hospitis mensa superfluos apponit et vendit alteri; denudat cameram ut hospiti cubituro paleas vendat: easdemque postea rursum alteri vendit. Quot hospitibus sæpe idem apponitur et computatur caseus, etc? Sic et mundus eandem dignitatem, idem officium, eandem domum successu temporis vendit aliis et aliis. Qua de re præclare cardinalis Bellarmin. conc. XVII. « Vidistis aliquando pueros circa paludes ranarum piscationi operam dantes? Ipsi enim ranæ alicujus pellem filo alligatam aliis ranis tamquam escam objiciunt: continuo vero non una, sed multæ undique ranæ ad escam illam accurrunt, et ea, quæ cæteris esse velocior potuit, summa aviditate escam, quam neque rodere, neque devo-

rare potest, apprehendit. Interea vero piscator filum colligit, escam ad se trahit, ranam filo appensam capit atque occidit et escam ab ejus ore violenter extractam, aliis aperto ore expectantibus objicit: atque hac demum ratione, sine magnis sumptibus, una atque eadem ranæ alicujus pelle ranas innumeras capit. Hoc est, auditores, hoc est plane, quod mundus et demon, cum hominibus raris istis stultioribus et simplicioribus faciunt. Nam iisdem penitus rebus, iisdem divitiis, agris, possessionibus, quæ sæpe hominibus alicujus non solum labore et sudore, sed etiam sanguine partæ sunt, ac proinde pelles hominum non injuria dici possunt: istis, inquam, rebus, et iisdem rebus innumerales alios decipiunt, atque ad inferos pertrahunt, etc. » Et paulo post: « Suspicate quæse testamenta majorum vestrorum, nil aliud ibi legistis, quam: Hoc uxori meæ relinquo, hoc filiis relinquo; et ne semel quidem dicunt: Hoc mecum fero, hoc mihi reservo. Interrogate agros et possessiones vestras; quot nomina jam mutaverunt? Olim Petri, deinde Pauli, tum Joannis, nunc Phlippi, paulo post alterius, nescio cujus agri et possessiones dicuntur. Cur hoc? Nonne quia homines tamquam ranæ capiuntur et esca semper manet, et ad alios homines similiter decipiendos conservatur? Aspice nunc et intuemini sedes pontificum, regum, imperatorum, quam multi ad istas sedes singulis ætatibus aspirant, et tamen, qui eas post multos labores et sudores obtinent ante ab iis dejiciuntur et corruunt, quam se in eis ad sedendum componere potuerunt. Heri sedebat unus, hodie moritur, et sedet alius: cras iste morietur, et sedebit alius. Atque ita sedibus et honoribus semper viventibus homines moriuntur, et nudi atque inanes in alias regiones, ubi perpetuo mendici atque ignobiles erunt, ingrediuntur. » Hæc Bellarm. Sic etiam opibus et hæreditatibus velut divitum spoliis et exuviis inhiant hæredes, sic præbendis et dignitatibus defunctorum viventes, etc. iisdemque inescantur et capiuntur: unde verissime Ecclesiastes, c. IX. ait: *Sicut pisces capiuntur hamo, sic capiuntur homines in tempore malo.*

Quid igitur hic consilii? Quando advertit hospes nimium sibi appositum et multa superflua, quæ rursum aliis venduntur a caupone, tum ipse vel invitat amicos, vel superflua tribuit mendicantibus, ut nil supersit cauponi, quod iterum vendere queat. Similiter, quando nosti mundum omnia tibi ablaturum et aliis venditurum, uter bonis tuis quam bene potes, et fac tibi inde amicos, sicque in bonum tuum, quo potes optimo modo dispone bona tua, sed ita, ut in futuro

iis frui possis, non ita ut hic per ingluviem, pompam, ludum omnia absumas. Salutare consilium expressit Deus, Levitic. I. cum præcepit in holocausto avium plumas projici prope altare ad orientalem plagam. Hoc enim dives faceret, si projiceret superfluas opes ad orphanotrophiam, sacrarum ædium structuram et ornatum, etc. O quam gratum sacrificium Deo offerre possemus et quam bene nobis consulere, quamque egregie et gloriose mundum decipere speque prædæ fraudare, si de bonis nostris faceremus nobis amicos pauperes et sanctos? Sed aiunt divites, exuvias suas non alienis, sed suis liberis et propinquis a mundo conferri, quod æque gratum sibi est, ac si ipsi ea retinerent. Sed imprimis incertum est, utrum propinquis ea bona dentur. Quot enim in hoc decipiuntur? Deinde, quid tum, si liberi affluent et gaudeant bonis parentum, ipsi interim egeant, patiantur, ardeant? Sperant fortasse suffragia, eleemosynas et sacrificia a liberis et propinquis? Ecce non ipsimet de istis sibi provident, dum vivunt. Interrogatus aliquando Dominus a Phariseis: *Quando venit regnum Dei,* respondit: *Regnum Dei intra vos est,* Luc. XVII. O divites, regnum Dei intra vos, in manu vestra est, potestis id emere per eleemosynas, modo velistis.

III. Non concedit hospiti meliorem alibi emere, melius vinum, meliorem avenam, meliorem lectum ex vicino hospite asportare, sed suis contentum esse jubet, aut hospitio excedere. Similiter mundus non concedit suis sectatoribus meliorem extra mundum querere, bona spiritualia et celestia consecrari: *Thesaurizare in caelis est, etc.* sed suis contentum esse præcipit. Sic Antiochus cogeat Judæos edere carnes porcinas, alias non dabat: et Julianus apostata cum non nisi contaminatas et idolothytas carnes venum proponi Christianis jussit Constantinopoli. De suo quidem apponit mundus liberaliter, permittit, imo consulit et vult, ut substantiam profundas ad pompam, ad delicias, ad ebrietatem, sed non sinit ut tantum des eleemosynæ quantum una comotatione perdis: permittit ut centum florenos aleis uno die perdas, sed non concedit, ut vel moriens triginta dones templo aut pauperibus: jubet ut jejunes toto die, in scamno cubes, etc. propter lucri spem, vel convivii expectationem, sed non item ad satisfaciendum pro peccatis: vult ut longum, periculosum, et molestum iter suscipias ac frequenter repetas lucri causa, sed non concedit, ut ad templum venias tempore pluvioso, diebus nundinarum, vel peregrinatum eas pro lucrandis indulgentiis: concedit ut coram hominibus gloriaris de certis pec-

catis tuis gravissimis, palamque ea tamquam belle facta proclames, sed non concedit ut eadem dicas confessario: concedit ut pudorem abjicias ad peccandum, sed non ad confitendum: suadet ut totam septimanam peragas otio, potatione, lusu, etc. sed non concedit ut unum diem festum abstineas a labore, tunc enim statim egestatem tibi minatur: dat otium ad spectandos homines in foro, ad longas confabulationes, non tamen ad missam quotidie audiendam: sinit te e pedibus laborantem excurrere ad agros, sed non ad templum.

Tu ergo si sapis noli hanc mundi tabernam intrare, eique te implicare; sed quemadmodum viator in foro, quæ sibi ad victum necessaria sunt, emit, ita et tu illecebras mundi fuge, animi potius bona quære ac sectare.

IV. Blanditur advenienti hospiti, sed in fine stricte computat, et rigidum se exhibet. Qua de re etiam Bellarm. conc. XI. mundum comparans hospite aut tabernæ, præsertim quales in Italia reperiuntur, sic scribit: « Cum iter faciens ad hospitium aliquod divertis, continuo cauponæ præfectus egreditur tibi obviam totus lætus atque hilaris, excipit peramanter, omnia dicit se optima habere, optimum panem, optimum vinum, optimas carnes, optimos lectos, addit quoque non raro de pretio nullam fore quæstionem. Quid? inquit. Estis domi vestræ, utimini, frumini rebus meis ac si vestræ essent: solvetis vero quantum libuerit: deinde, comitatur ad mensam, atque ibi nunc invitat ad bibendum, nunc ad comedendum, nunc arridet, nunc jocatur, nunc adulatur. Postremo, finita cœna deducit ad lectum, precatus felicem noctem, mollemque quietem officiosissime. Atque hactenus quidem putas illum non cauponem, sed quasi fratrem quemdam esse amantissimum tui. Cæterum die sequenti cum est ab hospite recedendum, occurrit tibi totus mutatus, omnino alius ab eo, qui fuerat nocte præterita: ibi numerare incipit, quidquid tibi dedit, et aliqua fortasse etiam, quæ non dedit. Et omnibus supputatis: Tantum, inquit, tibi persolvendum est. Tum tu fortasse obstupefactus: Quid? inquires. Tam parum comedi, tam male dormivi, et tantum persolvam? Quomodo hoc potest fieri? Et ubi sunt illa tua hesternæ promissa? Hinc ille torvis oculis: Miror profecto te, quasi nescias consuetudinem tabernarum; posteaquam comedisti et bibisti, non vis solvere? Sed certe solves: nec unus obolus minuetur. Hæc est mundi similitudo, auditores, nos omnes peregrini sumus, ingredimur mundum istum tamquam hospitium: continuo fiunt obviam nobis divitiæ, deliciæ, delectationes variæ, omnia bona ac felicia pollicen-

tur, invitant ad comedendum, ad bibendum, ad dormiendum, ad luxuriandum: nullum sit pratum, etc. Sap. II. et simul metum et sollicitudinem auferunt futuri iudicii. Nihil solvetis, inquit, Deus misericors est, non fecit homines, ut eos perdat: legito semel psalmum *miserere*, et omnia salva erunt. O quam suaviter illabitur concio ista in animos insipientium peregrinorum! At ubi adest mors, et egredi cogimur ab hospitio, ubi dicitur nobis: Heus tu solve, quod comedisti! Et quantum est, quod debeo? Quantum? Supplicia sempiterna. Quid supplicia sempiterna pro tam amaris et exiguis voluptatibus? O utinam nunquam ad hospitium divertissem! Pereat dies in qua natus sum. Sed dicitur ei: Non est nunc tempus poenitentiae, comedisti et bibisti, solvendum est. Intelligitisne qualis sit mundus? » Hæc Bellarminus. Figura huius mundi fuit Jahel illa, quæ divertentem ad se ducem Sisaram benevole excepit, egressa in occursum ejus, et dicens: *Intra ad me domine mi, intra, ne timeas*. Moxque aperuit utrem lactis, et dedit ei bibere, donec consopiretur; postmodum tempora ejus clavo transfixit et affixit pavimento, Jud. IV. Sic mundus blande ad se invitat homines, et deliciis demulcet, quosque in peccatis consopitos affigit clavo pravæ consuetudinis, quominus a peccatis surgere et per poenitentiam fugere mortem queant. Quid igitur hic consilii? Imitemur communem Italorum morem, qui cum optime calleant cauponum suorum calliditatem, priusquam fercula sibi apposita vinumque tangant, ea licitantur, et si quidem justo offeruntur pretio, prius emunt, quam absument, atque ita sine deceptione, et sine timore læti et hilares cœnant; præsciunt enim quantum sibi solvendum sit, nec a caupone decipi possunt. Similiter antequam te effundas ad mundi delicias, opes et honores, quære prius, quanti constant ista? Et quamprimum dicet tibi sacra Scriptura, dicet fides, dicet conscientia, quod æternis suppliciis. Proinde cum Demosthene dicito: *Non emo tanti panitere*. Hoc, inquam, si faceremus, non tam proni in mundi delicias rueremus, nec tam acerbum computum in morte penderemus. Sed heu! instar canis ruimus in ollam, et fustem non prævidemus. Cultrum in foro mundi emis, aut acum, rem vilissimam, et nihilominus prius quæris quanti illa constant, et siquidem cariora videntur, non emis: cur non idem facis in foro animæ, et negotiatione spirituali? Quid hic excusationis obtendes.

V. Hospitem discedentem, et non reversurum statim obliviscitur. Unde Sapient. V. dicitur: *Spes impij tanquam memoria unius hospitis prætereun-*

tis. Et licet hospes plurimas apud eum pecunias expenderit, cauponemque ad prandendum secum invitaverit, ita tamen ab eo post aliquod tempus excipitur, quasi nunquam ei visus fuisset. Aliqui etiam in tabernis relinquunt sua insignia: si tamen ab hospite roges, quid hic vel ille dominus egerit apud illum, nihil recordabitur, nisi quod olim apud se diversatus fuerit, et forte quod fuerit amicus tabernarum. Ad eundem modum mundus statim deponit memoriam suorum sectatorum. Multi fuere mundi hospites, et amatores olim perillustres, imperatores, sapientes, heroes, excellentes artifices, qui tamen nunc in mundo sunt obscurissimi, et licet varie per ædificia, per libros editos, per facta memorabilia, etc. conati sunt nomina sua æternæ memoriæ commendare; nequaquam tamen id assecuti sunt. Unde Baruch, capite III. inquit: *Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? Qui in avibus cæli ludunt? Qui argentum thesaurizant, et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum? Qui argentum fabricant, et solliciti sunt, nec est inventio operum illorum? Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt, et alii loco eorum exsurrexerunt*. Mundi typus in hac re fuit Nabal, qui tametsi multa beneficia acceperat a Davide, eum tamen in necessitate agnoscere noluit, dicens: *Quis est David, et quis est filius Isai? Tollam ergo panes meos et aquas meas et carnes pecorum, quæ occidi messoribus meis, et dabo viris quos nescio, unde sint?* I. Regum XXV. Sic mundus nescit sepulera et ossa potentum et sapientum mundi, nescit eorum palatia, vestes, opes, acta, beneficia accepta, etc.

Quid igitur consilii? Noli blandiri mundo, sed male eum tracta, et pugnis ac verberibus tunde, sic enim tui memor erit semper, sicut etiam caupo illius hospitis a quo male tractatus et egregie depal-matus fuit. Sperne igitur mundum, et incipiet te suspicere, colere, et posteritati commendare. Per hoc medium celebres in mundo facti sunt sancti, Antonius, Benedictus, Franciscus, Hieronymus, apostoli imprimis, quia mundum spreverunt, ejus fallaciam detexerunt, et quasi triumphatum traduxerunt, hinc coluntur etiam nunc non a vulgo solum sed a regibus et sapientibus, sciuntur eorum sepulera, asservantur magna religione eorum ossa, vestes et vasa, etc. per hoc magni et celebres in mundo fiunt et posteritati commendantur, non qui famulorum caterva stipati, in holosericeis incedunt vestibibus, novasque vestium excogitarunt formas, non qui ex auro et argento bibunt: sed qui cum in sublimi statu et nobilitate sint, humilia sectantur, plebeio incedunt habitu, hospitalia visitant, pedes pauperum la-

vant, ægrorum ulcera abstergunt. Per hoc in mundo celebrantur, non qui aurum et argentum cumulant, sed qui dispergunt et dant pauperibus, justitia eorum manet in sæculum sæculi: non qui omne pratum percurreunt sua luxuria, sed qui virginitatem colunt, etiam in matrimonio, inter occasiones delinquendi incontaminatos se conservant: non qui hostes duello prosternunt, sed inimicis suis injurias condonant et amicitiam ac beneficia offerunt: non qui epulantur splendide, sed qui jejuniis et tenui victu ventrem castigant: non qui in mollibus lectis stertunt, sed qui in spinis, in nive, in nuda humo noctes pie transigunt. Hic, inquam, hic modus, hæc via est perveniendi ad nominis celebritatem. Petrus Consalvus dum quadam die equo superbe vectus per urbem cum sodalibus spatiaretur, toti vanitati mundi expositus hic illic lascivens in profundum lutum cecidit, ex quo cœnosus extractus cum a pueris et plebe circumstante rideretur affatim, rubore suffusus sibi que iratus, ita secum locutus est: *Quemadmodum o munde cui tam graviter servivi, sic a te tractor, ego quoque te vicissim, ut mereris, tractabo*. Itaque eodem momento statuit se Deo famulaturum: quod paulo post fecit in Dominicanorum familia magna cum civium admiratione, Platus, de bono relig. lib. III. cap. XXXVIII. Quare cum apostolo Petro, I. Petr. II. *Charissimi obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis: et cum apostolo Joanne, I. Joan. II. Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt*.

CONCIO VI.

INSTRUCTIO CONFIRMANDI.

I. Quid circa hoc sacramentum sciendum. — II. Quid circa suscipientem. — III. Quid circa patronum. — IV. Effectus confirmationis. — V. Effectus extraordinarii.

THEMA.

Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis.

Joan. XIII.

Hodiernum evangelium desumptum est ex sermone Domini in ultima cœna habito. In eo vero sermone inter alia Dominus mentionem facit sacramenti confirmationis, et promissionis ejus. Imo doctores ex epistola, II. Fabiani papæ ad orientales, colligunt Christum in ea cœna docuisse apostolos, modum conficiendi et conferendi christma: unde et in hodiernum confici solet feria quinta in cœna Domini. Hinc non immerito

colligere possumus, hodierno evangelio instruere voluisse Dominum eos, qui confirmandi erant. Etenim in confirmatione roborantur fideles ad preferendas pro fide Christi persecutiones. Idem facit Dominus in hoc evangelio, ubi ait: *Non est servus major domino suo; si me persecuti sunt, et vos persequentur*. In confirmatione signantur fideles tamquam milites, et conscribuntur ad militiam. Idem indicat Dominus in hodierno evangelio: *Ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. In confirmatione accipit homo alampam, ut meminerit se destinatum ad toleranda quævis adversa pro Christo, adeoque etiam se ad hoc confirmatum esse: similiter in hodierno evangelio ait Dominus: *Memento sermonis mei, quem ego dixi vobis*. Quare instruamus eos, qui confirmationis sacramentum accepturi sunt.

I. Circa ipsum sacramentum nosse debet confirmandus primo, confirmationem novæ legis sacramentum esse, ac proinde a Christo institutum. Promisit enim Christus hoc spirituale donum, Joannis cap. XIV. et XVI. Luc. XXI. Actorum cap. I. cum promisit missionem Spiritus sancti, in die pentecostes factam, ubi et discipuli confirmati sunt, licet modo extraordinario et speciali: nam postea apostoli per manuum impositionem eam contulerunt, utique a Christo sic instructi et facere jussi, Actor. VIII. et XIX.

Secundo, non esse quidem necessarium ad salutem hoc sacramentum, esse tamen admodum salutare, nec sine peccato veniali omitti, cum suscipi potest. Præstat enim vires ad resistendum dæmoni, et ad fidem constanter coram tyrannis aut hæreticis eam oppugnantibus profitendam. Unde scribit Clemens Romanus, epistola ad Jacobum, se a Sancto Petro intellexisse, neminem perfectum Christianum esse, qui septiformem Spiritus sancti gratiam in sacramento confirmationis ab episcopo non acceperit: sic etiam Urbanus papa de consecratione, d. V. capitulo, Omnes fideles, ait: « Omnes fideles per manus impositionem episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent; ut pleni Christiani inveniantur, qui cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam et constantiam dilatatur. » Nimirum sicut Themistocles de Retensium duce Theutide Orontho dicebat Atheniensibus: *Non timere Theutidem, quia licet habeat gladium ad jugulandum, non tamen habet cor ad evagrandum*: ita dici de illis potest, qui baptizati quidem sunt, non tamen confirmati.

Nam ibi accipiunt gladium, hic cor ad evagrandum. Augustinum audi, in sententiis, numer. CCCXLII. *Christi, ait, nomen a chrisinate, id est,*